

*Reductio thematis est, qua illud reuocatur ad certam sedem.*

*Character thematis est triplex: gravis, mediocris, & humilis.*

*Character gravis est rerum magnarum & sublimium: ut sunt Deus, vita aeterna, gehenna. Dicitur alias character heroicus & sublimis.*

*Character mediocris, seu temperatus, est rerum mediocrium: ut sunt homo, pietas, auaritia.*

*Character humilis siue subtilis, est rerum humilium: ut sunt diuitia & omnino res peritura.*

*Genus cause est magis philosophicum vel theologicum. Genus cause magis philosophicum est demonstratiuum, deliberatiuum, vel iudiciale.*

*Genus demonstratiuum est, quod versatur in docendo, laudando & vituperando.*

*Genus deliberatiuum est, quod versatur in suadendo & dissuadendo.*

*Genus iudiciale est, quod versatur in accusando & defendendo.*

*Genus cause magis theologicum est theoreticum, vel practicum. Et illud est διδάσκων, doctrinale, vel ἐλεγκτικόν, redargutiuum: hoc est παιδαγωγόν, institutiuum, ἐπιωφελητικόν, correctorium; vel ἀπαρηγορητικόν, consolatorium.*

*Delectus thematis est, quo eligitur textus pro exigentia circumstantiarum.*

R E G V L A .

I. Officium concionatoris est tripartitum.

*Triples officium concionatoris.*

*Primo enim requiritur, ut antequam habeat & promulget concionem illam domi formet atque meditetur, itemque memoriae imprimat: quæ res intra priuatos ec. lesi istæ parietes tota clauditur. Secundo necesse est, ut concio domi formata publice promulgetur: ubi priuatæ illius meditationis & formationis vis omnis effectusque in publicum ecclesiæ theatrum profertur & producitur. Tertio post habitam in publico concionem requiritur, ut præco ecclesiasticus sollicitè ac enixe curet, ut res non abeat sine fructu. Ex quibus constat, sufficientem esse τελεχοποισίαν mediocrium à nobis propositorum: quod nimirum alia ante promulgationem concionis, alia in promulgatione, alia denique post promulgationem sint adhibenda.*

II. Reuocatio thematis ad certam methodum siue sedem, est ianua tractationis ecclesiasticæ.

*Reductio thematis quam necessaria?*

*Quemadmodum enim per januam intramus conclaue, illiusque penetralia introspicimus: ita per reductionem thematis ad certam sedem hoc obtinemus, ut in toto tractationis cursu se nobis offerant certatim omnia illa quæ faciunt ad plenam ipsius intelligentiam. Cæterum ista reuocatio fit, cum concionator secum expendit, ad quem locum communem*